

nempe astrologiæ versatur, ut in medicina, agricultura, sic præcipuè in nautica: & ea jam olim fuerat Thaletis quædam astrologia, quæ mathematicis auspiciis renovata à Columbo anno 1491, à Vespucio 1501 antipodas terrarumq; atque oceani tractus omnes Aristippis atq; Epicuris aperuit. Tres, inquam, hæ singulares artes, bombardica, typographia, nautica mathematicæ germanicæ invēta sunt. Itaq; mathematica repente gratiā imperatorum, regum, populorum omnium admirabilem adeptæ est. Quamobrem Aristippe jam hîc opinor ad mathematicos honores obstupesces. Maximilianus Imperator publicas mathematicarum professiones liberali stipendio Viennæ instituit. Mox tamen nobile Imperatoris exemplum in singulis academiis principes liberique populi secuti sunt. Sed mathematicorum germanorum unus Regiomontanus longissimè excelluit: monumenta ingenii orbi terrarum nota sunt, ingenio delatus honos non omnibus fortasse notus. Vienna professore Regiomontano gloriosa est. Matthias Hungariæ rex seculo suo regum decus prætabula astronomica pretiosam vestē & Hungaricos aureos octingentos dono misit. Ephemerides annorum triginta, novus tum & ignotus antea matheseos fœtus, ita gratus accidit, ut exemplaria singula duodecim Hungaricis aureis venderentur Germanis, Hungaris, Italis, Gallis, Britannis certatim cõmentibus, sed summus ille à Sixto Pontifice Romano honor fuit, absentem Regiomontanum Ratisponæ episcopum designatum esse. Honor igitur alit artes (ait Tullius) omnesque incenduntur ad studia gloria. Ergo mathesis in Germania præcipuè effloruit. Noribergatum Regiomontano fruebatur: mathematici inde & studii & operis gloriam tantam adeptæ, ut Tarentum Archyta, Syracusæ Archimede, Byzantium Proclo, Alexandria Ctesibio non justius quàm Noriberga Regiomontano gloriari possit. Extinctis enim mathematicis Archyta, Archimede, Proclo, Ctesibio mathesis Tarentina, Syracusana, Byzantia, Alexandrina extincta est. At inter artificum Noribergensium Regiomontani mathematicis eruditorum delicias est, muscam ferream ex artificis manu velut egressam cõvivas circumvolitare, tandemq; veluti defessam in Domini manum reverti: Aquilã ex urbe adventanti imperatori longissimè obviam sublimi aere procedere, atque adventantem ad urbis portam comitari. Desinamus itaq; Archytæ columbam mirari, cum muscam, cum aquilã geometricis alis alatum Noriberga exhibeat. Ergo nobiles illi quõdam in Græcia atq; Ægypto artifices hodie nulli sunt: Regiomontani Noribergæ supersunt. Senatus enim populusq; Noribergensis operam dedit, ut perpetuos Regiomontanos haberet. Itaq; Vernerus primum: deinde Schoneri pater & filius Regiomontani animam deinceps excitaverunt. Sed illud de civitate singulare est, atq; apud omnes civitates prædicandum: Stipendiũ dare de publico mathematicarum professori non ei solum qui doctis & eruditis prælegat, sed ei quoq; qui vernacula lingua Latinè Græcèq; ignaros opifices erudiat: hinc etiam nobiles sine literis artifices: imò mathematicæ disciplinæ etiam apud posteros doctores. Durerus enim pictor hanc Noribergensibus laudem tribuet. Quin si qui mechanicorum operum artifices insignes non ignavia aut culpa, sed adversa valetudine aut fortuna in egestatem inciderint, opem ferre miseris atq; afflictos sublevare Noribergensium quotidiana claritas est. Superi tibi Noriberga gloriam